

et patrias factam in oppido Gandensi, consequenter eandem fecit publicari in oppido Lovaniensi. Proclamatione facta statim notabilis discordia publicaque guerra inter regem et pretacta oppida Brabantie exorta est in tantum quod teutonici ac ruteri in Mechlinia, Vilvordia ac Hallis aliisque locis ex parte Regis Romanorum locati omnes paci adherentes ceperunt captivare et equos oves et boves aliaque pecora abducere. Tandem ipse rex in persona Xii Octobris ipsa dedicatione Sancte Gudile cum duodecim fere milibus equitum veniret ante civitatem Bruxellensem et aliis in locis tutis se occultantibus pauci ex illis ceperunt oves circa menia pascentes abducere quo comperto bruxellenses dictas oves reducere cupientes pene improvisi et inermes ceperunt insequi fugientes quibus fugam simulantibus donec eos longe ad oppido pertraherent statim qui latuerunt comparuerunt et predictos Bruxellenses a tergo vallantes plures ex eis peremerunt alii vero evadere necem cupientes Zennam transnatare nisi sunt, e quibus plures natare nescientes submersi sunt ita quod fere centum occubuisse compererunt. Rex etiam cum suis ruteris pene ducentos Bruxellenses abduxerunt captivos sicque dies dedicationis et letitie versus est in lamentationem et luctum. Quibus peractis predictus Philippus de Ravesteijn prefatis periculis volens occurrere patriamque destitutam a pretactis ruteris liberare Francorum cepit ac Flamingorum Leodiensiumque auxilium invocare. Quibus vacatis statim septima die post predictam stragem Dominus Robertus de Arenbergh cum duobus filiis Willhelmi fratri sui aliaque comitiva equitum satis copiosa civitatem Bruxellensem intraverunt sabbatoque sequentis ebdomade Flamingi in subsidium predicti Philippi pro conservatione pacis Bruxelle comparuerunt. Non longe tamen post hec predicti Flamingi ad propria certis causis permoti redierunt. Interea procurator huius domus post competentem ob ruteros in itinere constitutos dilationem tandem ad nundinas Antverpienses pro necessariis ac provisionibus iter arripuit. Quibus emptis fretus consilio amicorum ea Mechliniam reportavit sed sciens ruteros in Vilvordia constitutos nec Regi Romanorum nec capitaneis ob defectum stipendiorum obtemperare timensque provisionum suarum amissionem domum rediit provisionibus in domo cuiusdam amici derelictis. Breviter postea amicorum consilio iterum Mechliniam rediit acceptoque salvo conductu regis provisiones nostras Denremunde navigio transvexit iterumque domum rediit pro curru et equis nostris sumpto simul salvo conductu a capitaneo de Dermonde atque a domino Philippe de Ravesteijn. Quibus peractis statim cum curru et quatuor equis nostris pro provisionibus ad Dermonde iter arripuit quo cum curru et

equis in itinere constituto statim intra villagium de Assche et Dermonde occurrerunt tres ruteri *Adriani de Liekercke* et statim gladiis evaginatis funes preciderunt et procuratore et famulo et auriga sequentibus equos nostros ad castellum de Lieckerke perduxerunt quibus gestis procurator videns iniuriam et violentiam sibi factam statim famulum suum domum misit petens literam a domino *Philippe de Ravesteijn* ad dictum *Adrianum de Liekercke* pro liberatione equorum nostrorum impetrari. Quo peracto statim prior in persona dominum *Philippum* adiit et per medium cuiusdam amici iniuriam damnum ac violentiam sibi factam insinuavit quo audito statim literam ad dictum *Adrianum* direxit pro liberatione equorum nostrorum, sed procurator noster dicti *Adriani* duritiam et obstinationem videns timens etiam equorum nostrorum venditionem ac sentiens sibi audiencem negari perplexus duodecim avene modios ac aliquos sicclos pisces antequam domini *Philippi* litera dicto *Adriano* presentaretur pro liberatione equorum suorum promittere compulsus fuit statimque domum rediit dolens se ei cui nihil debuit tantum promisisse unoque equo in astadio derelicto ceteros tres statim domum secum reduxit. Postea dicto *Adriano* per medium curati de Liekercke monachi Premonstratensis ordinis de duodecim modiis avene sibi promissis satisfecit sicque iterum Dermonde rediit per Aloustum et ubique salvum conductum pro cautela petiit atque famulum suum pro curru nostro iterum remisit qui veniens etiam Xii St ad liberandum funes et avenam et cetera per ruteros capta aliamque pecuniam pro expensis in via habere desideravit Sicque iterum Dermonde pro victualibus cum curru et equis rediit ac die tertio procurator noster cum famulo et provisionibus ac ceteris domum salvi ac liberi redierunt. Interea facta est in civitate Bruxellensi magna rerum caristia propter ruteros circumquaque in castellis civitatem obsidentes et victualia impedientes. Hinc accidit quod fratrem *Laurentium* domus huius donatum ad Angiam pro ovis emendis transmisimus qui quoniam die debito quo forum tenetur non venit eum prior Capelle sine ovis remisit quem ruteri *de Kestergate* in via invenientes eum secum ad castellum duxerunt et unum Florenum Andree quem secum pro ovis emendis detulerat ei violenter abstulerunt atque una nocte eundem in custodia posuerunt plura eidem falso imputantes. Postera vero die ad instantiam cuiusdam Parrhociani, eum capitaneus salvum dimisit. Post hec vero durante in patria ista discordia multas a ruteris sustinuimus molestias ante portam sed precipue altera Vincentii circa horam quartam post matutinas intraverunt domum istam ultra Septuaginta ruteri per pomerium ac hortum olerum ex hiis qui Bruxellensibus adheserunt, et quamque violenter nihil abstulerant tamen victualia ac provisiones inventas consumpsérunt

et fratrem *Joannem* domus huius conversum percutserunt et quasdam ianuas violenter aperuerunt aliasque(*sic*) se satis inordinate habuerunt. Circa idem tempus prior huius domus priorem domus Capelle eques adiit pro consilio super statu domus huius qui ibidem aliquot diebus propter aquarum abundantiam remanere compulsus est. Postea vero aura mutata et gelu terra constricta prior pedes rediit equo propter periculum ibidem dimisso. Post quindecim vero dies ad admonitionem prioris illi de domo Capelle equum cum fratre *Joanne* donato suo remiserunt quem ruteri de *Gaesbeke* invenientes in via de equo descendere compulerunt(*sic*) et equum violenter secum duxerunt quod *Joannes de Lovanio* qui illo tempore in coquina nostra servivit ovis suis que de Angia pro domo nostra portavit *Joanni* donato domus Capelle cui equus captus fuerat ad portandum dimisisset statim eos usque ad castrum de *Gaesbeke* est secutus atque Balivo de *Gaesbeke* causam adventus sui exposuit. Qui statim inter ruteros suos inquisitionem rei factam inventisque qui equum abstulerunt(*sic*) continue illos satis dure redarguens eo quod contra salvagardiam(*sic*) suam nobis violentiam intulissent nobis promisit quod aut equum si venditus non esset, aut pecuniam de equo receptam haberemus. Quod et factum est. Nam procuratori nostro ad eundem Balivum pro equo rehabendo accidenti dedit pro equo Duos Florenos Andree qui valuerunt Quinque Renenses communes de XX St.

**I**tem hoc anno post festum Epiphanie ob defectum Butiri et casei et aliarum provisionum procurator noster iterato Antverpiam adiit qui ibidem ab amicis pecunia mutuata provisiones necessarias emit et in navi ad Dermonde tendenti omnia depositu quibus peractis statim bona nostra fuerunt de mandato Burgimagistri in navi arrestata et quoniam supposita erant in navi bonis aliorum et sine grandi mora ac difficultate de navi extrahi non poterant voluit prefatus Burgimagister ac demandavit nauclero ut bonis aliorum Dermonde transvectis nostra rursum Antverpiam reportaret. Quo comperto statim procurator noster adiit domum ordinis nostri ibidem et priore pro tunc absente procuratori tamen eventum rei exposuit, qui statim amicos adiit eosque precibus flexit tantumque apud Burgimagistrum ac alios amicos laboravit quod nostra bona ac provisiones procuratorem libere auferre permiserunt.

**I**tem hoc anno in festo sancte Agathe virginis fecit hic professionem frater *Henricus Orii* qui anno preterito fuit vestitus quo die ruteri Bruxellenses preparaverant se ad eundem *te Liekercke* pro virtualibus ut intelleximus qui cum appropinquarent domui nostre supervenit pluvia tam copiosa quod omnes pene compulsi

sunt intrare domum istam tam per portam anteriorem quam etiam per Capellam beate Marie ac etiam per pomerium qui etiam tempore summe misse quando predictus iuvenis debuit facere professionem satis insolenter se habuerunt tam ante iunuam Ecclesie quam etiam in aliis locis sic quod conventus in actu professionis fuit plurimum conturbatus, quasdam etiam ianuas violenter aperuerunt aliasque satis molesti nobis ac nostris fuerunt multa etiam victualia in pane in piscibus in caseo et similibus comsumpserunt. Quidam etiam e Bruxellensibus carpos et alios pisces cum quibusdam aliis parvulinis abstulerunt pro quo facto eos teutonici obiurgaverunt ac reprehenderunt. Hoc etiam die quoniam necessaria preparari propter predictorum presentiam ac insolentiam non valuerunt conventus multum fuit a refectione retardatus in tantum quod ut moris est propter professionem novitii spaciandi tempus post colloquium non habuerunt. Iste frater *Henricus* fuit per Septem annos vicarius huius domus.

**I**tem circa predictum festum quadam nocte quidam Franci de Gandavo Bruxellenses in auxilium venerunt quorum quidam numero fere Xx portam conventualem violenter aperuerunt et duas cellas porte proximas violenter infringere conabantur sic quod fratres media nocte sub vigiliis insolitum rumorem audientes inimicos causa domum predandi advenisse credentes plurimum fuerunt conturbati. Sed ut postea comperimus solum illa nocte latere ac parum reficere petierunt, violenter tamen contra morem ordinis quandam puellam introduxerunt quam nullis precibus dimittere a se voluerunt.

**I**tem breviter postea quodam sero supervenerunt quidam Gallici tam per portam retro novam Ecclesiam quam etiam per pomerium ceteris ad Gandavum pro victualibus tendentibus, etiam illa nocte latere ac reficere cupientes satis tamen gracie se habuerunt, multis etiam molestias predictis temporibus atque gravamina tam ante portam quam etiam in domo a ruteris sustinuimus.

**I**tem hoc anno procurator noster ac etiam laici Fratres multos labores fecerunt ad habendum blada nobis a diversis debita nam Procurator noster pene omnes Capitaneos pro Salvagardia(*sic*) pro nobis ac pro nostris habenda adiit qui omnes gracie ac letanter eum acceptaverunt et libenter petitioni eius annuerunt. Quo facto laici nostri iverunt versus *Wesenbeke* ad excutiendum illuc blada ac avenam que nobis ex parte decime debentur quibus partim per fratres nostros excussis venerunt ruteri de *Sterrebeke* missi a suo Capitaneo et ultra duos modios avene abstulerunt non obstante Salvagardia(*sic*) quam nobis concessit quo cognito statim Bruxelle duos equos parvi emimus ut blada excussa recenter semper

auferrit possemus qui breviter postea a Ruteris de *Vilvoirdia* blada ferentes nostris ablati sunt. Postera die procurator cum Fratre *Amando* converso cui equi capti fuerant *Vilvoirdiam* adiit ad rehabendum equos nihil tamen perceperunt quoniam ruteris qui equos abstulerant non invenerunt. Dominus tamen *Cornelius de Bergis* capitaneus ei salvamgardiam (*sic*) pro maiori tutela concessit, breviter postea iterato misimus album equum nostrum cum malo crure quem Episcopus Cameracensis contulerat nobis ad habendum dictam decimam qui iterum media nocte a ruteris de Vilvoirdia fratribus nostris quiescentibus fuit sublatus quo comperto nostri ruteris insequebantur eosque circa portam de Vilvoirdia cum equo invenerunt quibus etiam salvamgardiam ostenderunt et pro equo rehabendo eos suppliciter rogaverunt, qui perspecta salvagardia eis equum restituerunt. Quo ablato et in Wesenbeke reducto statim eidem fere unum modium siliginis de decima nostra imposuerunt. Quibus in itinere cum equo et bladis constitutis occurrerunt quidam equites de Vilvoirdia equum cum bladis et quibusdam aliis parvulinis violenter auferentes qui postea nusquam fuit nobis restitutus sicque nostri domum redierunt suum infortunium narrantes. Postea procurator quasdam mulieres conduxit qui predicta blada portaverunt et Bruxellam tam de Wesenbeke quam etiam de aliis locis detulerunt.

**I**tem Viii<sup>a</sup> de Martii sc in magno carnisprivio d. *Philippus de Ravesteijn* venit ex Francia per Gandavum et intravit civitatem Bruxellensem cum magna copia Francorum quo die Dux Saxonie cum suis ex parte regis Romanorum destruxerunt et combusserunt unum magnum villagium cum Ecclesia et multis hominibus, mulieribus et parvulis dictum *Yssche* sequenti feria prefatus Dux venit cum magna numerositate populi equitum sc et peditum ante civitatem Bruxellensem et incenderunt ibidem multas curtes et domos, quos dominus *Philippus* nostre numerositate superare ac repellere nequaquam valuit. Item feria quarta sequenti prefatus Dux cum suis destruxerunt ac incenderunt unum pulcrum villagium cum Ecclesia dictum *Asscha* in qua etiam multi viri ac mulieres et parvuli combusti fuerunt.

**I**tem eodem Anno fecimus deponi unam domunculam *ter Biest* que venit domui ex parte *Hermannus Anderlecht* custodis Capelle nostre quoniam timuimus eam amittere a ruteris ac aliis ligna querentibus ad comburendum.

**I**tem eodem anno circa Annunciationis Beate Marie festum Hannonienses fecerunt unam magnam congregationem equitum

et peditum Hallis ad subveniendum Regi Romanorum qui profesto Annunciationis venerunt ante civitatem Bruxellensem et incenderunt ibi duo molendina et quasdam alias domos e quibus quidam ruteri de Hannonia non habentes capitaneum venerunt cum impetu ante portam nostram et tres equos nostros ibidem arantes violenter abduxerunt presente procuratore nostro et fere omnibus operariis, quos etiam capere nitebantur e quibus *Petrum* pastorem ovium nostrarum percusserunt et vulneraverunt ac togam eius abstulerunt omnes tamen operarii nostri protegente manus eorum evaserunt. Procurator vero noster pro recuperandis equis nostris eosdem ruteros insequebatur et putans eos invenire Hallis statim Capitaneum adiit et sibi sui adventus causam exposuit, qui etiam *diligentiam* adhibuit apud alios capitaneos ut possemus rehabere equos nostros. Sed comperto quod ibidem equi nostri non essent quodus ruteri essent sub dominio *Anthonii de Masteyn* statim unam literam a dicto *Anthonio* impetravit ad *Balivum de Lessene*, eo quod de Lessene dicti ruteri fuerunt oriundi ut nobis equos nostros aut pecuniam redderent sin aliter omnes incarceraret. Qui balivus inquisitione de eis facta comperit eos in *Aa* fore in oppido Hannoniensi, deditque procuratori nostro literam ad capitaneum dicti oppidi petens ut procuratori nostro assisteret ut posset recuperare equos suos. Statimque procurator noster habita litera dictum oppidum adiit et ubique inquisitionem de equis suis fecit. Tandem comperit eum qui equos nostros abstulit cum uno iuniore equo in oppido esse, alios vero duos quos habuimus ab Episcopo Cameracensi esse venditos cuidam de Valencenis statimque *Balivus* dicti oppidi adiit petens sibi equos nostros restitui, alter vero ex opposito multa frivola allegando se iuste equos nostros abstulisse asseruit quare nihil iuris in dictis equis nos habere affirmavit. Tandem procurator noster Salvamgardiam Regis Romanorum et ceterorum capitaneorum dicto Regi adherentium Balivo presentavit qua lecta statim eundem custodie mancipavit quoadusque nos de equis ablatis plenarie contentaret. Quo facto statim dictus Ruterus instanter petit a procuratore ut eum a custodia absolveret ad recuperandum equos nostros quos vendidit qui statim eius precibus annuit certa summa pecunie in astadio posita Sicque post diem tertium tres equos nostros nobis restituit quibus receptis statim eosdem secundum consilium prioris Capelle et aliorum diversis vendidit pro Lxvi Reneses quoniam magni pretii in oculis videbantur cum tamen aliqui pauci essent valoris, loco quorum alios emimus minoris pretii et minoris reputationis.

**I**tem circa finem Martii quadam nocte sex Ruteri ex hiis qui domino *de Arenberghe* adheserunt silenter intraverunt domum istam per murum circa portam retro novam Ecclesiam quibus ingressis statim accesserunt ad ianuam per quam itur proxime ad conventum quam quia clausam invenerunt conati sunt ignem admovere et quoniam pulveres

circa se habuerunt quibus emittuntur bombardi eisdem pulveribus ignem procurare nisi sunt, statimque ignis improvise eosdem pulveres attigit et quinque ex eis ita combussit quod pre dolore quasi fuerere videbantur, precipue unum qui circa se eosdem pulveres portavit. Quo facto ianuam violenter aperuerunt et clamore valido operarios ac ministros pre dolore inquietaverunt qui causa adventus et infortunum eorum intelligentes eis studio humanitatis subsidium pro posse impenderunt.

**I**tem Xviii<sup>a</sup> maii Anno Iii<sup>C</sup>lxxxix fuit hic sepultus in nostro cemiterio *Joannes Orii* pater fratris *Henrici Orii* monachi ac professi domus huius qui licet non fuit civis oppidi Bruxellensis obiit tamen ibidem propter guerras patriarcharum.

**I**tem Xxvii<sup>a</sup> maii quidam mercenarius nomine *Petrus* qui multis annis pavit oves nostras solo victu et vestitu contentus satis diligens et fidelis in hiis que sibi commissa erant qui etiam de consensu curati de Anderlaco sua sacramentalia suscepit a nobis et sicut desideravit in nostro cemiterio sepultus fuit die predicta maii quo die fuit festum ascensionis.

**I**tem eodem die post sepulturam dicti *Petri* circa horam completorii fuit hic sepulta quadam virgo nomine *Elizabeth Orii* filia dicti *Joannis Orii* hic sepulti ac soror fratris *Henrici Orii* monachi professi huius domus.

**I**tem sciendum quod hoc Anno propter debitorum multitudinem compulsi fuimus vendere quedam Clenodia precipue ad satisfaciendum cuidam *Egidio de Putere* de pecunia mutuata, vendidimus de scitu visitatorum nostrorum tres Calices, duas testes argenteas, unum parvum pottum Argenteum de quibus recepimus summam Centum octoginta octo renenses communes. Isti tamen calices tempore suo poterunt recuperari per similes eiusdem valoris ac ponderis.

**I**tem hoc anno profesto visitationis beate Marie vendidimus omnes oves nostras timore amittendi easdem cuidam carnifici dicto *Joannes Gillemans* quoniam maculose erant ac minus pingues ad servandum, pecuniam vero inde receptam reliquimus in cambio oppidi quod tenet *Rolandus de Weert* ad emendum alias tempore suo.

**I**tem hoc anno in festo sancti Petri ad vincula fuit hic sepulta in nostro cemiterio honesta matrona Margareta Tsergoossens soror Anne dicte Tsergoossens alias Middelborchs singularis amice huius domus ac materterea fratris Mathie pro tunc Prioris huius domus que pristinis temporibus plures gratias domui impendit multosque labores pro Ecclesia nostra in lavandis vestibus multis annis fecit

**I**tem hoc anno in Augusto postquam oppidum Thenense fuit ab Alemannis

spoliatum inierunt consilium Bruxellenses ac Lovanienses cum suis adherentibus et elegerunt multos de melioribus ac discretioribus quos miserunt cum honesta legatione ad Ducem Saxonie eis iniugentes ut non reverterentur quin pacem si possibile foret reportarent. Qui recedentes tantum egerunt apud Ducem Saxonie ac apud alios dominos illius partis quod pacem summa pecunia repromissa reportaverunt.

**I**tem hoc anno fuit in oppido Bruxellensi maxima pestilentia ita ut cotidie per longum moriebantur II<sup>C</sup> vel III<sup>C</sup> homines. Nam ut ferebatur in toto hoc anno obierunt plusquam XV milia hominum inclusis mulieribus et parvulis.

**J**tem hoc Anno prima die Septembbris fuit hic sepulta in novo ambitu iuxta patrem suum una iuvencula decem annorum nomine *Margareta de Groote*, filia quondam magistri *Karoli de Groote* pie memorie quondam Cancellarii Brabantie qui hic iacet sepultus ante cellam suam in novo ambitu quam fecit fieri.

**I**tem hoc anno Lxxxix quarta die Septembbris fuit hic sepulta in nostro cemiterio *Aleydis* uxor *Hermannii Anderlecht* custodis Capelle beate Marie que multis annis sc a principio inchoationis huius domus Beate Marie Virginis cum viro suo fideliter servivit.

**I**tem hoc anno Quinta Septembbris fuit hic sepulta in magno ambitu ante ianuam per quam de magno ambitu iter erit ad novam ecclesiam honesta matrone *Anna Tsergoossens* singularis amica et benefactrix et quodammodo mater nostra ac hospita omnium personarum ordinis atque materterea fratris *Mathei* pro tunc Prioris huius domus que multis annis domui ac Ecclesie nostre multa obsequia gratis impendit nam omnes vestes Ecclesiasticas sc albas mappas corporalia manutergia vicem sacriste supplens valde egregie lavit atque mundavit multaque similia sepe fecit. Insuper etiam multa beneficia diversis vicibus ac multis annis in pitantiis in vino in pecunia ac aliis diversis sepe dedit. Nam multis annis in adventu ac quadragesima conventui bis in ebdomada vinum renensem ministrari fecit. Dedit etiam post mortem *Joannis Middelborch* viri sui ac singularis amici nostri iuxta quem sepulta fuit Xiii Nobilia Henrici et duos alias nummos ignote monete pro eidem finaliter unam pulcram casulam fieri desiderans, ad quam ipsa in vita sua unam pulcram crucem emit que habetur apud nos pro Xxx renensibus tantum pro panno eiusdem casule dimittens.

**I**tem postea anno Lxxxix concessit Priori huius domus nepoti suo ad satisfaciendum *Egidio de Pretere* de mutuo Xi Nobilia Henrici que tunc valuerunt fere Nonaginta Renenses communes quam summam etiam domui quitavit pro se orari desiderans. Item finaliter in

testamento suo reliquit domui primo Quinque Renenses Communes super oppidum Bruxellensem in memoriam anniversarii sui. Item adhuc acto renenses communes super oppidum Bruxellensem ad vitam fratris *Mathie* nepotis sui, horum Xiii similes venerunt ad domum istam per mortem viri sui super oppidum Bruxellensem sic simul venerunt ad domum istam ex parte utriusque Xxvi renenses communes super oppidum predictum decem perpetui censu et in memoriam anniversarii utriusque et pro pitantia ac vino fratrum in solennitate Assumptionis Beate Marie et sedecim ad vitam fratris *Mathie* nepotis sui pro tunc prioris huius domus. Item reliquit nobis in testamento suo sextam partem domus sue quam simul emerunt. Item unam cistam plenam lineo panno sc mappis manutergiis ac novo panno aliisque diversis.

**I**tem in nativitate beate Marie fuit hic sepulta in nostro cemiterio uxor *Joannis de Roje* pistoris cuius filius pro tunc fuit sacrista huius domus. Cuius maritus breviter postea sc Xxv Septembris circa eam et parentes suos patrem sc et matrem fuit sepultus.

**I**tem eodem die fuit hic in nostro cemiterio sepultus *Lucas Oliveri* filius *Joannis Oliveri* servitor domini de Gaesbeke qui ordinavit omni ebdomada unam missam in Capella celebrari pro qua habemus Librum Gr. Flandrie sc Vi renenses in oppido Niniviensi.

**I**tem hoc anno Sexta Octobris fuit hic sepulta in nostro cemiterio *Margareta Stroets* soror domini *Petri Stroets* ac neptis magistri *Sigeri de Hasselt* pie memorie hic in nostro ambitu iuxta matrem suam sepulti.

**I**tem eodem die fuit hic sepultus in nostro cemiterio quidam sacerdos secularis nomine *Nicolaus Gallicus* natione qui tempore Ducis Karoli cotidie in nostra Capella exteriori pro prospero successu prefati ducis missam legere consuevit.

**I**tem Xi<sup>a</sup> Octobris obiit magnus amicus et servitor noster *Nicolaus Buys* qui sequenti die hoc est Xii<sup>a</sup> eiusdem mensis fuit hic sepultus in nostro cemiterio qui etiam multis annis habitavit in hospitio nostro in oppido Bruxellensi ac fuit receptor bonorum domus nostre ac etiam domus Cartusie qui etiam legavit domui in testamento suo semel Lii renenses communes pro utilitate domus applicandos.

**I**tem hoc anno Xxii<sup>a</sup> Octobris fuit hic sepulta in nostro cemiterio honesta virgo *Marie vander Masen* neptis et quondam ancilla magistri *Sigeri van Hasselt* hic in nostro ambitu iuxta matrem suam sepulti que nobis in testamento suo reliquit fratribus de ordine Predicatorum in Bruxella de quibus mobilibus pro parte nostra venerunt

semel in levi moneta que tunc currebat L<sub>xxxii</sub> renenses Ix St. factis. In bona moneta Xvii renenses Ix d.

**I**tem circa idem tempus venit ad domum istam absente priore quidam adolescens *Joannem van Olmen* nepos *Joannis van Olmen* receptoris Brabantie ac frater domini Decani de Lira habens similiter fratrem in *Viridi valle* ac in *Rubeo claustro* et materteram in monasterio dicto *ter Cameren* asserens se missum a quodam fratre *Adriano* ordinis observantum in Antverpia ut hic fierit monachus. Quem nostri benigne admittentes Ecclesiam cum monachis intrare permiserunt et lectionem cantare fecerunt, quem nostri cernentes ordini satis utilem fore fuerunt eidem multum inclinati. Qui postquam aliquot diebus fuit hic in conventu dixit se velle visitare materteram suam *ter Cameren* et sic redire et portare pitantiam vini pro conventu sed tamen postea non est reversus. Quoniam sicut postea comperimus unum calicem a Domino *Michaele Pistoris* quondam capellano Anderlactensi nobis datum pro tunc in promptuario incaute derelictum ac duos ciphos argenteos domini abbatis de Ninive qui pro tunc fuit una nocte hospitatus in domo nostra ac unum pretiosum libellum cum aureis imaginibus ex cella fratri *Joannis de Grote* qui eum docuit lectionem suam furtive ac nobis ignorantibus abstulit, et sicut postea percepimus a diversis ab ineunte etate talis conditionis fuit.

**I**tem obiit hoc anno Quarta die Decembris hoc est in festo beate Barbare Virginis *Hermannus Anderlecht alias Mojesone* ac sepultus fuit in nostro cemiterio iuxta coniugem suam qui multis annis imo fere a principio et inchoatione huius domus fuit custos Capelle nostre exterioris quam etiam toto tempore suo valde fideliter custodivit et pluribus annis ante mortem suam propter defectum oblationum parum aut fere nihil de stipendiis suis solitis recepit. Domui etiam nostre tempore vite sue in multis sibi possibilibus valde obsequiosus fuit. Dedit etiam domui ac legavit in prompta pecunia fere Xxi Renenses communes et quedam mala debita reliquit etiam nobis silvam suam quam habuit a domino *Petro Strote* cum onere suo.

**I**tem hoc anno Sexta Die Decembris hoc est in festo S. Nicolai Episcopi fuit hic sepultus in nostro cemiterio dominus *Willhelmus Tuenis* sacerdos ac capellanus in Beginagio Bruxellensi qui pridem ante in domo ista quinque vel sex annis habitavit in expensis ac didicit scribere fracturam.

**I**tem hoc anno in festo sancti Thome apostoli fuit in oppido Bruxellensi proclamata pax universalis inter reges et patrias nostras nobis proximas et tertia die post istam proclamationem fuit facta una satis notabilis depresso monete ita quod unus florenus

aureus qui fecerat Tres Renenses communes ac XI St. propter generalem depressus fuit usque ad Xx St. similiter unus st. Philippi qui valuerat tres depressus fuit rursus usque ad unum et sic omnis alia pecunia unaqueque secundum qualitatem suam.

**I**tem hoc anno Xix Martii fuit hic sepultus in nostro cemiterio *Michael de Slachmoldere* operarius noster qui pluribus annis nostris expensis domui servivit ac fidelis in omnibus domui fuit.

**I**tem hoc anno in festo sancti Benedicti fuit hic sepultus in nostro cemiterio *Rogerus de Mejs* principalis auriga noster qui domui pluribus annis fideliter servivit.

**A**ltera post festum Benedicti hic positi carbones de Zonia in uno penum sub Capitulo qui post duas horas postquam impositi fuerunt in pena totaliter accensi ac igniti inventi fuerunt ita quod tota domus nisi dominus providisset in periculo ignis fuisset nisi deo sinante sacrilegium innotuisset.

**I**tem hoc anno in inventione Sancte Crucis fuerunt hic recepti in statu donatorum ad professionem tres iuvenes primus de Lovanio dictus *Joannes Pluvier* quem pridem magister *Egidius de Platea* misit nobis et quatuor fere annis probavit serviens in coquina. Secundus fuit oriundus ex Gelria dictus *Ludolfus Coelsmet* habens hic nepotem monachum in domo pro tunc seniorem domus qui fuit pro tunc ortolanus et etiam scivit pinsere et braxare. Tertius fuit oriundus de Bruxella dictus *Lucas Varneberch* pro tunc portarius domus nostre sciens facere cilicia.

**I**tem hoc anno orta quedam controversia inter nos et Capitulum Anderlectensem occasione bonorum domini *Henrici Nulant* pie memorie quondam canonici Anderlectensis et precipue propter officium sex missarum in dicta Ecclesia Anderlectensi in honorem dei et sancte Agathe per dictum dominum *Henricum* fundatum illis asserentibus quod si sacerdos dictas sex missas celebraturus secundum tenorem literarum desuper confectarum deberet admitti ad susceptionem distributionum ac aliorum emolumentorum in dicta Ecclesia suscipiendorum illo in commune nil inferente magnum inde gravamine, per maxima quoque murmurandi occasio aliis vicariis inde generaretur cum liquido pater *Marcelius* Predecessor noster se promiserit copiose provisurum si dicti dominus *Henrici* bona ad manus nostras devenirent nam aliter dictas literas in gravamine aliorum concessissent. Nobis vero econtrario respondentibus non licere bona nobis relicta in usus pauperum contra intentionem testatoris ac contra tenorem testamenti in

alios usus convertere nec aliquo modo nos propter predicta bona velle gravare conscientias nostras tandem ex utraque parte in hoc convenimus quod eligerentur tres vel quatuor viri notabiles in hac materia et iure periti quorum arbitrio totum committeretur qui si arbitrarentur nos posse de dictis bonis sine gravamine conscientiarum nostrarum in dicta Ecclesie Anderlectensi fundare unam novam vicariam in sublevamen aliorum libenter annueremus. Sic tandem elegimus dominum Officialem Cameracensem et dominum *Theodoricum Hejckens* canonicum Ecclesie sancte Gudile qui tandem omnibus diligenter consideratis in hoc convenerunt quod possemus imo deberemus merito supplere hoc quod per dictum dominum *Henricum* in gravamen aliorum negligenter(*sic*) omissum fuit.

**C**irca istud tempus dedit Reverendus Dominus D. *Franciscus* Archiepiscopus Bisuntinensis pro fundatione et dotatione unius celle prope cellam Episcopi Cameracensis *Vi<sup>c</sup> florenos* communes et fuit immediate perfecta.

**I**tem hoc anno emimus unam petiam terre arabilis *Xiornalium* erga dominum *Rolandum de Mol* nomine *Colebuc* qui est heres predictorum bonorum et erga *Annam vanden Heetvelde* sitam in Parhoccia de Molenbeke supra campum dictum *Guldekens Hocht* et quoniam ~~inidonea~~ inidonea(*sic*) erat ad seminandum plantavimus ibi diversa ligna ad faciendum de illa petia terre unam silvam. Istam silvam hoc uno anno procurator noster cum operariis suis ac aliis ministris de familia nostra totaliter plantavit et etiam cum eiusdem in diversis locis plantas collegit et cum curru nostro ac etiam humeris ministrorum easdem apportavit.

**I**tem hoc anno *Xiiii<sup>c</sup> xc* altera Katarina venerunt ad nos duo iuvenes quorum unus vocabatur *Adolfus Coutereau* filius domini *Roberti Coutereau* militis ac locum tenentis regis romanorum qui *Adolfus* habuit hic nepotem fratrem *Joannem de Groote*. Alter vero vocabatur *Petrus Eeckaert* filius unius honesti civis Bruxellensis qui dicebatur *Joannes Eeckaert* qui pro tunc petierunt visitare fratrem *Joannem de Groote* nepotem predicti *Adolfi* sicque abierunt breviter namque postea redierunt desiderantes intrare chorum ac videre modum ordinis sed incontenti altera die postquam domum intraverunt venit mater predicti *Adolfi* et eundem secum eduxit et tam ipsa quam Abbas de Affligonio Avunculus eius ceteri fratres et cognati eius eum a sancto proposito blanditiis ac promissionibus aliisque retrahere conati sunt, parum tamen profecerunt

quoniam breviter postea iterum rediit et amicis suis tam per nuntios quam per scripta eum extrahere conantibus. Tandem predictus *Adolfus* et *Petrus Eeckaert* ambo simul penultima Januarii recepti sunt ad osculum pacis ad deinde predictus *Adolfus* in festo sancte Agathe virginis et martiris fuit vestitus. *Petrus* vero postea septima Februarii fuit vestitus. Isti duo anno revolato fecerunt professionem in domo sta quorum unus sc *Adolfus* filius locum tenentis circa tempus professionis sue ad magnam instantiam parentum suorum resignavit dominia sua in manus domini temporalis salvo quod reservavit sibi ad utilitatem domus nostre Lrenenses hereditarii census supra unum dominium dictum *te Cobbeghem*.

**I**tem frater *Petrus Eeckaert* reliquit domui multa bona circa Quadraginta Renenses annue tam ex parte patris quam ex parte matertere dicte Relicta *Petri Wijchman* de qua recipimus annue *te Vischeroul Vi* renenses et octo St. et super Oppidum vi renenses.

**I**tem anno Xci Octava maii fuit hic receptus ad osculum pacis *Henricus Hinckaert* nobilis filius *Joannes Hinckaert* militis qui postea Ix Junii in festo sanctorum martirum Primi et Feliciani fuit hic vestitus et anno revoluto fecit professionem Septima Junii duobus sc diebus ante principalem diem sue professionis et hoc consensu visitatorum nostrum eo quod principalis dies professionis sue venit in vigilia Pentecostes que dies propter longum officium ac alias est minus ydonea. Iste *Henricus* legavit ac dedit domui tam in bonis hereditariis quam in redditibus pecuniariis circa Sexaginta Florenos renenses annue vel valorem eorum. Et ex parte ipsius venerunt domui pro parte curtis *te Halsingen*, sed pro prior *Mathias Tsergoosens* emendavit dictam curtim et a diversis emit terras sc a *Paulo Vrelant*, *Joanne Eeckaert*, et aliis multis ita ut iam valeat annue Xlii modios et iii sist. Siliginis, quia ab ipso *Henrico* non habuimus nisi novem modios siliginis et novem petros in pecuniis. Et dominus *Joannes de Mol* miles dedit ibidem parvum pratum circa dictam curtim situm de quo receperimus annue Xx St. in memoriam anniversarii dicti domini *Joannis de Mol* et pro quibus intendit.

**I**tem anno M.cccc.xciij X<sup>a</sup> Junii obiit generosa domina D. *Margareta Herdinxs* coniunx quondam D. *Robert Coutereau* militis locum tenentis feudorum ducatus Brabantie que obiit in domo sua *te Relegem* et est apud nos sepulta in mbitu iuxta sepulcrum domini Karoli de Groote militis quondam cancellarii Brabantie que habet

hic filium suum fratrem *Adolfum Coutereau*. In cuius sepultura fuerunt filii sui sc dominus *Joannes Coutereau* miles, postea ammanus oppidi Bruxellensis. Dominus *Philippus Coutereau* miles custos privilegiorum Brabantie, Magister *Leonardus consiliarius Cancellarie Brabantie*, Magister *Karolus Coutereau* canonicus et thezauriarius Ecclesie Antverpiensis, Dominus *Henricus van Schoonhoven* nunc miles qui duxit ipsius defuncti filiam in uxorem et in eius exequiis fuerunt multi sc Abbas Affliginiensis(*sic*) et multi alii quia ipsa domina Margareta erat soror domini *Goswini Herdinxs* Abbatis monasterii Affliginiensis, sed nullum est adhuc signum eius sepulture.

**I**tem hoc anno in profesto Gregorii Pape obiit frater *Hermannus* conversus huius domus factor fenestrarum vitrarum vir simplex et bonus ac fidelis in opere suo. Primo fuit receptus ad statum donatorum, et postea facta est conversus qui laudabiliter se gessit et erat religiosus bonus et obediens.

**I**tem Xxiiii Julii obiit honestus ac discretus vir *Joannes Elzelaer* magnus amicus fautor ordinis et benefactor et precipue domus nostre qui sequenti die fuit hic in nostro ambitu sepultus iuxta coniugem suam prope ianuam qua iter erit ad parvum ambitum, qui multa bona nostre domui reliquit puta domos, agros, prata, nemora, redditus hereditarios ac census etc. ut patet in libro quo omnes litere de predictis redditibus continentur, de quibus bonis semper quatuor partes ministrande erunt indigentibus, quintam vero partem semper domus pro suis laboribus reservabit.

**I**tem anno Xiiii CXcv XViii maii obiit frater *Amandus Amelen* conversus huius domus qui fuit lapicida et satis Egregius in opere suo qui ante ingressum ordinis fuit nuncius scolarium alme universitatis Parisiensis et postea se reddidit ad servitium dei qui pro maiore parte fecit construi cellam retro novam Ecclesiam expensis suis dedit pro ipsa cella semel L renenses.

**I**tem eodem anno obiit frater *Joannes* sutor huius domus sc tertia Decembbris.

**I**tem anno Xiiii CXcvii in profesto sancti Hugonis fuit hic investitus in monachum frater *Judocus Fabri de Alosto*.

**I**tem eodem anno ~~in profesto~~ altera Simonis et Jude fuerunt hic investiti ad statum conversorum primus frater *Laurentius* frater *Livinus Cooman* et frater *Lucas Warenberch* qui anno revoluto

fecerunt professionem pariter et idem frater *Laurentius* ordinatus fuit in coquinarium istius domus et semper fideliter ipsum officium exercuit.

**I**tem eodem anno in die conceptionis virginis Marie obiit frater *Joannes Hac* monachus huius domus cuius beneficia vita et obitus scribuntur antea per quondam vicarium fratrem *Judocum Fabri* et ibidem ad longum ponuntur.

**I**tem anno Xiiii<sup>o</sup>Xcviii more Leodiensi hic fuit investitus post purificationem virginis gloriose die Xiiii februarii frater *Hubertus de Loen* qui anno Xv<sup>o</sup> fuit ordinatus per visitatores prior domus sancte Sophie prope Buscumducis.

**I**tem eodem anno fuit facta cella domini *Francisci de Buslejden* Archiepiscopi Bisontinensis qui eandem cellam etiam dotavit et dedit pro cella et fundatione Vi<sup>o</sup>renenses qui etiam appositi sunt ad curtem in *Pee*.

**I**tem Xxviii novembris obiit frater *Ludolfus Coelsmet* donatus huius domus qui per aliquot tempus fuit inferior auriga ac fuit agriculture deditus qui habuit seniorem monachum domus in nepotem qui licet iuvenis ac fortis fuerit tamen satis subito obiit.

**I**tem anno Xiiii<sup>o</sup>Xcviii obiit *Egidius vander Muelen* primus maritus *Margarete* hospite nostre Bruxelle et est hic apud nos sepultus circa festum sancti Laurentii.

**I**tem hoc anno Xiiii<sup>o</sup>Xcix Viii<sup>a</sup> Maii obiit frater *Joannes de Bruyne* procurator huius domus oriundus de Gandavo ante ingressum ordinis fuit sacerdos et capellanus domini *de Robajjs*. Iste fuit interdum vicarius se computatis annis in officio procuratoris ante et post fuerunt Xxxii anni. Fuit semper laboriosus et magnos labores fecit nec sibi in aliquo pepercit. Unum referam de quo certus sum quod in tanto spatio annorum nec semel ordinis ieunia fregit tempore suo multa procuravit presertim a servitoribus domini *de Robajjs* quia interventu ipsius recepti ab uno dicto *Henrico van Herzelle*(sic) ultra ducentos renenses. Et a filia eiusdem domini aliqua clenodia et pacem argenteam multum zelosus pro ordine, plures infirmitates sustinuit et multas lucratus est patientie coronas, cuius anima in eterna pace requiescat. Et fuit primus professus huius domus et primus procurator quamque in inchoatione domus fuerit modico tempore procurator dominus *Nicolaus de Harlem* postea procurator de Utrecht et postea prior Antverpie. Ipso frater *Joannes de Brune* ab officio procuratoris absoluto fuit ordinatus procurator istius domus frater

*Joannes de Groote anno X<sup>c</sup>Xvi et fuit absolutus ab eodem officio anno X<sup>c</sup>Xvi in profesto sancti Hugonis et eadem die ordinatus Vicarius huius domus.*

**I**tem anno X<sup>c</sup>Xix fuit empta curtis dicta *te Pee* per venerabilem priorem *Mathiam Tsergoossens* et fratrem *Joannem de Groote* procuratorem a Magistro *Joanne Sucket* consiliario ducis Austrie que quidem curtis pro nunc valet L<sup>v</sup> modios siliginis et in argento ultra XI<sup>v</sup> ren<sup>v</sup> enses. Pro solutione dicte curtis fuerunt assignati ipsi magistro *Joanni Sucket* in defacationem principalis summe Xxvi Renenses supra oppidum qui domui erant date per fratrem *Henricum Hinckaert* monachum huius domus. Diversi redditus erant quitati sc Xiiii ren enses ex parte *Karoli de Donckere*, tres Petri ex parte decani Anderlectensis et plures alii redditus qui erant applicati ad dictam curtum. Insuper ad dictam curtum sunt empti diversi redditus ut patet in registro predicti prioris. Etiam anno XvC<sup>c</sup>Xiii fuerunt empti a *Reynero de Donckere* X<sup>v</sup> mod<sup>v</sup> ii siliginis de quibus hospitale sancti ~~Egidii~~ Eligii in Bruxella habent annue Vii modios.

**I**nsuper est sciendum et memorie commendandum quod plures redditus qui venerunt domui ex dotatione *Joannes van Elzelaer* erant redempti et quitati et pro severatione ~~—~~ servatione conscientie ex dictis bonis computabuntur annue et ascribentur pauperibus Quinquaginta Renenses, que quidem summa erit applicanda pauperibus cum aliis bonis et redditibus ad ipsos pauperes spectantibus. Et propterea ego procurator computavi omni anno ipsos Quinquaginta Renenses in computatione conventus et peto ut successores nostri similiter faciant.

**I**tem anno domini X<sup>c</sup>Xcvii Xvi Novembris fuit hic receptus et investitus frater *Judocus Fabri* de Alusto(*sic*) filius *Henrici Fabri* qui fuit enutritus cum iuvenibus nostris in Anderlaco et postea expensis nostris fuit missus ad studium in Lovanio qui fuit bonus scriptor divisorum librorum et illuminator, et anno XvC<sup>c</sup>Xii fuit institutus vicarius huius domus, sed absolutus et in cella positus. Item anno XvC<sup>c</sup>Xvii post obitum patris *Mathie Tsergoossens* fuit idem frater *Judocus Fabri* ordinatus procurator huius domus qui fuit satis diligens in officio procuratoris sed postea recessit cum heremita ut suo loco habetur.

**I**tem anno domini XvC ipso die Epiphanie domini venit apud nos honestus iuvenis magister *Simon Vilain* artium Magister filius naturalis